

- gis Christianis cordi sit, piè defunctorum corpora honestæ sepulturæ tradere, nec se officio huic humanitatis subtrahere, cùm & Scriptura S. hoc jubeat. *Eccles. 7. Mortuo ne prohibeas sepulturam: Et c. 38. In mortuum produc lacrymas, & non despicias sepulturam illius*; idemque LL. humanis conveniens sit, uti constat ex *tit. ff. & C. d. relig. & sumt. fun. it. d. mort. infer. de sepulcr. viol. d. cadaver. punit*: imò omisio tanti muneris non levem injiciat infamiam & invidiam l. 5. *C. d. religios.* Hinc eleganter & doctè *Theod. Beza ad cap. 14. Matth. v. 12. Etsi nihil, inquit, mortuis confert honor sepulturæ, vult tamen ceremoniam hanc Dominus à nobis observari, ut resurrectionis pignus.*
- 23 Cæterùm, est modus in rebus, certique sunt observandi fines: quamobrem materiam Sepulcrorum Inauguralis locò impræsentiarum, quantum quidem temporis &
- 24 instituti fert ratio, pertractari, dignam arbitratus sum. Quod, ut feliciter cedat, DEUM ter O. ter M. supplici veneror voce, velit suâ gratiâ ac Spiritu mihi assistere, mentem manumque ita dirigere, ut omnia ad SS. sui nominis gloriam, proximique utilitatem vergant, fiant. Sit itaque

## CAPUT I. De Origine & Definitione

### CONSPECTUS.

- Sepulturæ origo. 1. juri divino haud incognita. 2. 3. de jure Nat. nemini deneganda. 4. cognationem natura inter homines constituit: qualis cognatio hic intelligenda. 4. intellectus præcepti juris Nat. homo homini debet benefacere. 4. 5. sepultura est beneficium humanitatis. 6. intellectus præcepti juris Nat. quod tibi vis fieri, alteri etiam faciâs. 7. 8. 9. 10. jure quoque gentium debetur defunctis sepultura. 11. & seqq. allegatur perversa nonnullarum gentium consuetudo. 12. sepultura est è jure non scriptô. 15. 16. LL. Romanor. sepultura magni æstimatur. 17. jure Canon. magna ipsi indulgentur privilegia. 18. Origo sepulcrorum antiquissima. 19. causa hujus moris introducendi allegatur. 20. Definitio vel Nominalis vel Realis. 21. Jcti viscera rerum potius scrutantur, quam apices literarum. 22. Sepulcri Etymologia. 23. Sy-

Sy-